



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm
Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

Grégoire, Pierre

Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.

VD16 VD16 G 2999

3 de Fine & rationibus transactionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)

lo: est dolose faciat, qui non facit quod facere debet. *leg. dolo, de dol. p.* Eo quod contra non implentem proditæ sunt actiones, vt cogatur, veluti actio præscriptis verbis, non de dolo, *in leg. solent, de præscrip. verb. & conditio ob causam, vt restituitur pristina actio, l. si quis accepto tulerit, de cond. et. caus. dat.* ageturque vel ex stipulatu, vel inter est non impleram fuisse transactionem, *l. cum mora 6. C. de transact.* ¶ Et nascetur ea ratione ex contractu si icti iuris arbitraria actio, *l. in bene fidei, de eo quod cer. loc. in P.* ob pactum non seruatum, *l. centum Capua, eod. tit.* sicuti etiam in contractibus innominatis, vbi non subsistunt, quia non implentur, si interfit agitur ex eo, conditione dati, *l. si tibi decem dedero 7. de præscr. verb.*

De alia specie Contractuum innominatorum, do vt facias. Cap. 4.

- 1 Do vt facias, contractus innominatus, quos contractus contineat.
 - 2 Conditio dati, si non fiat quod dictum est, competit.
 3. 2. Contractus do vt des actiones.
- Casus fortuiti interitus in contractibus innominatis, ad quem pertineant. eod. 3.

Hæc species innominatorum contractuum, do vt facias, continet contractus in quibus aliquid datur, vt aliud fiat: si modo in propriam formam nominatam non veniant: nam tunc eius nominis, non generalis censentur. Exemplum Paulus adfert, cum do vt facias, si tale sit factum, quod locari soleat, & pecuniam dem, erit locatio. si non dem pecuniæ quantitatem, vt facias, sed rem aliam, quamvis locari soleat factum, non erit locatio, sed contractus, sine nomine: item si factum est eius nature, quod locari non possit: quamvis pecuniam pro eodem, non erit locatio, sed anonus contractus. *l. naturalis, §. ad cum do, vt facias, de præscr. verb.* Aliud a Papiniano relatum, si quis pretii explorandi causa rem tradat: neque depositum, neque commodatum erit, sed non exhibita fide in factum ciuili actio competit, vel ex contractu anonymo, *leg. 1. §. fin. eod.* Id ipsum obtinet, si multas experiundas dedero, aliquo singulis diebus accepto, donec reddidisses, imperfecta emptione, *l. apud Labonem 22. eod. p.* si vestimenta cum velles vendere, te rogauero, vt ea apud me relinqueres, vt peritioribus ostenderem, ea que apud me perierint *leg. si rem tibi 19. §. sicum mihi, eodem.* Sunt his plura similia, quæ a contractibus nominatis diuersas notas habent, retentis duobus illis extremis, do vt facias. ¶ Si non fiat quod dictum est, qui dedit condicere poterit, vel præscriptis verbis agere vt fiat, *dict. l. naturalis, §. at cum do, & l. si dominus seruum 8. de præscr. verb.* quod si is qui facere tenebatur, fecerit quidem, sed quod ei datum est eo nomine euictum sit, si sciens alienum dedit, de dolo actione tenetur: si ignoras, in factum ciuili actione, *d. l. naturalis §. at cum do, vide l. iurisperitium §. 1. de pact. p.* Et Papinianus, eum qui dedit vt quid fieret, si alter cesset facere cõfessum, tradit posse agere præscriptis verbis, vt soluat, quanti sua interest: aut si nihil interest condicere posse, vt datum reddat, *l. si tibi decem 7. de præscr. verb.* Et rursum, ob eam, inquit, *l. ob eam causam 9. eod. tit. p.* causam accepto liberatus, vt nomen Titii debitoris delegaret: si fidem contractus non impleat, incerti actione tenebitur. Itaque iudicis officio non vetus actio restaurabitur, sed promissa præstabitur, vt condemnatio sequatur.

¶ Casus fortuitus qui circa interitum rei accidit, si dum apud me inspiciendi causa reliquisses, interierit, pertinet ad dominum: *leg. si rem tibi, 19. §. sicum mihi, de præscr. verb. p.* & si margaritas, vel alias res tibi dedero, vt easdem mihi adferres, aut pretium earum, si quidem ego te venditorem rogauis, meum est periculum, si tu me rogasti, tuum, si perierint ante veditorem, *l. si gratiam 18. §. 1. de præscr. verb. p.* Sed si neuter nostrum, sed dumtaxat consensus, tene: i te hæcenus vt dolum & culpam mihi præstes: & ex hac causa erit vique præscriptis verbis actio.

De Contractu innominato, facio vt des. Cap. 5.

1 Contractus innominatus facio vt des, quas actiones producit.

Quod si faciam, inquit Paulus, vt des, & postea quam feci cessas dare, nulla erit ciuili actio, & ideo de dolo dabitur, *dict. leg. naturalis, §. quod si faciam & Pompon. in leg. permisi 17. §. fin. eod.* Dolose enim, vel callide ve. latus est, qui passus est alium facere, factio irrevocabili, quod pro infecto haberi, nequit,

leg. in bello, §. facta, de captiuis, in P. & postea non vult ex sua parte implere fidem: si tamen factio opere, quiddam, quod dandum sit, ex eo superfit, recte Pomponius experiri posse ad exhibendum respondit, *dict. leg. si permisi §. 1.* Et hodie si permittatur aliquid fieri, vt inde commodum detur facienti, conditione donationis factum tolli petiue potest: *l. si quis argeum, §. penul. de donat. C.* cessabitque subsidiaria de dolo, *glo. fin. in §. fin. l. permisi.* Possit tamen dari actio ciuili præscriptis verbis, vt cogatur dare ei qui fecit promissum, si pactio intercessit: vt apud Iulianum, si promissum aliquid sit, si furatum detegat, *l. solent, 16. de præscr. verb.* quod tamen potius addo vt facias: quam ad facio vt des, quidam referri dicunt, & ideo actionem præscriptis verbis dari autumant, vt in transactione quoque, *l. cum mora, de transact. C.*

De Facio vt Facias, & de rationibus contractuum innominatorum, Cap. 6.

- 1 Contractus innominatus facio vt facias natura & actiones.
- 2 Contractuum innominatorum finis idem ac nominatorum, implemendum fidei data.
- 3 Præscriptis verbis actio qua, & quare prodita, & pro quibus. In factum actio generalis qua, & pro quibus.

In hac specie, facio vt facias, prospiciendum est similiter ac in prioribus, ne innominati contractus formam incidat: nam tunc ex eo contractu non præscriptis verbis agendum esset, *dict. leg. naturalis, §. sed si facio, eo. de præscr. verb. p. l. rogasti 21. §. fin. eodem titul.* Vbi autem præscriptis verbis agitur, & ex altera parte, factum sit, ex altera non fuerit factum conuentum, sit condemnatio quoque, quanti interest factum non esse, *dict. leg. naturalis, in prin. iuncto §. fin.*

¶ Finis tractationis contractuum innominatorum est idem, qui & nominatorum, vt fides seruetur: ne prætextu nominis contractus promissum fraudetur. Nec enim oportuit tam cuiuslibet nominis inquirere, quantum præstandæ fidei æquitatem, *leg. 1. de pact. p.* Plura enim sunt negotia, quam rerum vocabula, *leg. 4. de præscr. verb. p.*

¶ Quare sufficit Iuriscõsultis quædam nomina, vel communia præscribere, quibus admonentur contrahentes, etiam ea que sine proprio contractus nomine venirent in placitum, præstanda esse. Et ita etiam actiones, quibus ad effectum promissa duci possent, generales in factum, & præscriptis verbis proposuerunt, aliis deficientibus actionibus, *l. 1. 2. 3. de præscr. verb. p.* Actio dicta præscriptis verbis a iure ciuili concessa, & ciuili dicta, si quicquam verbis fieri darive placuisse expressum sit, & non possit in formam propriam nominatam reduci, vt si rem inspiciendam dem, & tu eam amiseris, *l. si rem inspiciendam, eod. tit.* Et sic de similibus. Quod si nihil dictum sit, vel nihil expresse conuentum sit, tamen factum quoddam interuenit, ex quo nominata nõ detur actio, pro eo facto in factum dabitur actio: vt si cui ostenderem tibi anulum, dum ambularem circa Tyberim, in Tyberim is deciderit a manu tua, agam in factum contra te, *leg. duo secundum Tyberim, de præscr. verb. p.* Et generaliter quoties deficit actio, vel exceptio ex eo negotio, propter quod agere quum est, datur actio utilis in factum, *l. quoties, eod. l. rebus, de rerum permutat.* Videto autem latius in gloss. l. ex placito, de rerum permutatione, in quibus locum habet actio in factum, & actio præscriptis verbis. Porro, res, personæ, quæ idoneæ sunt his innominatis conuentionibus, reliquæ fere omnia, quæ consideranda sunt, affinem & similem fere in omnibus habent transactionem cum nominatis contractibus.

De Donationibus, & primum de finitione. Cap. 7.

Institutio. Lib. 2. tit. 7. P. lib. 39. tit. 3.
C. Lib. 8. tit. 24.

- 1 Donatio inter anomalous contractus.
- 2 Donatio etiam hodie udo pacto sit ualide, olim minime.
- 3 Donatoris nomen unde declinatur.
- 4 Munus, & donum quomodo differunt.
- 5 Donationis finitio.
- 6 Diuisio in proprie liberalitatis puram, & improprie donationem.
- 7 Donationes improprie, conditionales, causa mortis, ob causam &c.
- 8 Donationum alia obliqua, alia directæ, & que.
- 9 Donatio alia inter vivos, & modi varii quibus conspiciuntur pure non pura, conditionalis, & cum modo. eod.